

PROLEGOMENON

DE ECCLESIA

§. I.

Definitione petita ex ipso nomine, quae definitio realis quidem est licet inadaequata, definiiri sic potest Ecclesia ut dicatur: coetus divinitus evocatorum ad colendum Deum.

I. Definitio nominalis praemittenda est tractationi, qua significetur quid sit de quo agitur. Cum vero nomen ipsum etymologice spectatum quamdam certam praefert significationem, et constat pro aliqua re significanda usurpatum esse ab iis qui et vim nominis et eandem rem plane noverant, definitio ex ipsa vi nominis petita habenda est ut realis, exhibet enim verum conceptum obiectivum rei; licet quia non primas essentiellesque omnes notas rei exhibet, non sit adaequata definitio.

II. Ecclesiae nomine in Testamento novo frequenter censentur illi qui Christi fidem professi sunt, tum universim omnes, tum plus minus ampla eorum portio 1^o. Cor. VI, 4; X, 32; XII, 28. Ephes. I, 22; Matth. XVI, 18. Act. IX, 31. Coloss. IV, 15. Idem in omnibus subsequentibus ecclesiasticis monumentis apparet.

Iam vero si ratio habeatur usus profani, ἐκκλησια (ἐκ καλεω) est coetus hominum vocatione collectus. Cum enim multipliciter homines in unum convenire possint, natura, pactis, iussu vel vocatione, conventus seu coetus populi tertio hoc modo collectus Ecclesia dicebatur. Item usu sacro קהל (verbum קהל perinde est ac καλεω) est in primis coetus Israelitici populi qui Deo vocante adunatus est, redditurque a LXX tum συναγωγή tum non infrequenter ἐκκλησια Deut. XVIII, 16; XXIII, 2; XXXI, 30; Nehem. XIII, 1; 1^o. Reg. XIX, 20; ac קהל גדולה Nehem. V, 7 est concio iudicatoria; sic et 1^o. Machab. V, 16 ἐκκλησια μεγάλη est coetus eorum qui deliberaturi de re publica conveniunt. In Testamento quoque novo accipitur eccle-

siae nomen sensu profano Act. XIX, 32, 39. et de coetu Israelitici populi Act. VII, 38. Semper tamen de hominibus collectis usurpatur, saltem oppositum haud constat: neque enim opponere licet 1^o. Cor. XI, 18 si conferatur v. sequens 20.

III. Ergo subiectum illud cui nomen Ecclesiae saepe a Scriptoribus T. N. factum est, coetus est vocatione collectus. Sane qui ad eum spectant, frequenter dicuntur vocati, vocati sancti, vocati Christi. Quia vero qui vocantur ad aliquid vocantur, iam implicite hoc nomen *Ecclesia* dicit id quod explicite expriment formulae huiusmodi: vocati in societatem Filii Dei, in gratiam Christi, in admirabile Dei lumen, etc. Cf. 1^o. Cor. I, 2. 9; Rom. I, 6; Gal. I, 6. Sunt porro a Deo vocati Ephes. I, 18; Gal. I, 6; 1^o. Petri II, 9. 10; 1^o. Thessal. II, 12. Vocati nempe sunt ad Deum colendum professione Christianae fidei, ut ex citatis locis constat. Quocirca huiusmodi coetus a coetu Israelitici populi discernitur ipso quoque usu nominis, coetus enim Israeliticus *synagoga* communiter appellatur, coetus vero Christi fidem profitentium *ecclesia*; cuius discriminis rationem reddit Augustinus in inchoata expositione epistolae ad Romanos n. 2. (Cf. §. VI).

Itaque res hoc nomine *Ecclesia* significata 1^o est coetus h. e. non solum aliqua hominum multitudo, sed multitudo in unum collecta: 2^o est coetus vocatione collectus: 3^o coetus vocatorum divinitus ad Deum colendum professione Christianae fidei.

§. II.

Christus instituens ministerium apostolicum instituit eo ipso Ecclesiam suam, eique certam formam tribuit societatis.

I. Promisit Christus se aedificaturum Ecclesiam suam (Matth. XVIII, 18), quae non multiplex futura erat sed unica in terris; id enim exigebat tum unitas Dei, mediatorisque Deum inter et homines (1^o. Tim. II, 5.) tum universalitas redemptionis, cuius applicationis medium est Ecclesia: idque praeterea docemur ex eo quod Ecclesia est corpus Christi (1^o. Cor. XIV, 13) et sponsa Christi (Ephes. V, 23 seq.): neque hanc singularem unitatem sub aliqua saltem confusa notione Protestantes negant Ecclesiae a Christo institutae. Iam vero cum Christus Apostolos misit (Ioan. XX, 21) deditque eis potestatem ligandi et solvendi (Matth. XVI, 19; XVIII, 18) remittendi et retinendi peccata (Ioan. XX, 23), iussitque eos docere omnes gentes, discipulos ex eis facere, eosque initiare baptismo, eisque tradere servanda quae ipse mandavit (Marc. XVI, 15. 16. Matth. XXVIII, 18-20), ministerium instituit apostolicum. Liquet heic nos sumere auctoritatem apostolicam sub aliquo vero quidem sed generali conceptu, praecisione

facta a quaestione heic inopportuna circa perfectionem et modum, quo a singulis apostolis participata fuerit. Iam vero eo ipso quod eam auctoritatem Christus instituit, coetum quemdam religiosum instituit; etenim ex Apostolis docentibus ligantibus et solventibus, atque sanctificantibus et ex hominibus, qui eorum sint discipuli, eorumque obnoxii auctoritati atque ab iis sint sanctificandi, coetus aliquis per se coalescit. Is vero coetus coalescit qui est credentium veritatem a Patre per Christum et a Christo per Apostolos manifestatam (Ioan. I, 18; III, 11; VII, 16; XVI, 13. 1^o Ioan. I, 1-3. Gal. I, 8; 2^o Tim. II, 2.) atque colentium Deum eo modo quo Christus praescripsit. Porro talis coetus dicendus est Ecclesia Christi, quia ipse coetus est vocatorum ad credendum et colendum Deum a Christo institutus. Cum ergo constet Christum Ecclesiam instituisse, atque unicam tantum instituisse; institutione vero ministerii apostolici Ecclesiam aliquam certe instituerit; haec est reapse Ecclesia ab eo instituta; quam ipse appellat suam.

Neque aliter Christus Ecclesiam suam instituit quam instituendo potestatem ligandi et solvendi, docendi et sanctificandi quam primum in apostolis collocavit. Haec enim institutione habentur omnia elementa necessaria coetus religiosi, qualis est Ecclesia. Coetus enim religiosus per se constituitur unitate doctrinae salutaris, rituum sacrorum et mutuae communionis; atqui haec omnia obtinent per eam triplicem potestatem, debitamque illi subordinationem. Quocirca si qua alia institutio Ecclesiae excogitatur a Christo profecta, vel ea est prorsus ab hac distincta, vel est veluti pars et complementum eius. Prior hypothesis reiicienda est: secus enim duas Ecclesias suas instituisset Christus, quod nec Protestantes somniant. Si alterum defendis, vel id quod veluti pars et complementum dicitur huius institutionis quam tuemur, nempe ministerii apostolici, ita nexum est cum eodem ministerio ut necessario sit simul cum illo, vel est ab eodem ministerio independens ut seorsim ab eo esse queat. Si hoc alterum supponitur, relabimur in hypothesim duplicis Ecclesiae iam reiectam. Si primum vero defenditur, adhuc quidem reliqua foret quaestio, qua ratione partis se habeat ad institutionem ministerii haec altera institutio quae supponitur; sed ne praeoccupemus quaestiones, illud profecto nunc praestituere possumus, quod si quod aliud elementum Ecclesiae ex Christi institutione necessarium in Ecclesia excogitare licet, id sit interior sanctitas et fides; atqui ex eadem Christi institutione haec ita nexa sunt cum ministerio, ut per ipsum ea obtineantur sintque veluti effectus eius. Docente enim ministerio gignitur fides, eodemque ritus sacros administrante gignitur sanctitas, eoque regente et gubernante norma morum praestituitur ad quam actua-

lis sanctitas exigatur. Ergo reapse instituto ministerio apostolico Christus instituit Ecclesiam suam. Hinc cum primum promissionem facit Christus aedificandae a se Ecclesiae, sub imagine regni illam exhibet, promittitque potestatem clavium, ligandi et solvendi qua regnum istud regatur (Matth. XVI, 19. Cf. dicenda in th. I).

Testes huius veritatis omnes ii sunt qui quaecumque in Ecclesia obtinent ab auctoritate apostolica iugiter in ea perseverante reperiunt. Si enim ita est, auctoritas apostolica principium est virtute continens Ecclesiam Christi, et praecisione ab ea facta nulla est Ecclesia Christi; ideoque instituta illa auctoritate, et solum cum ipsa est instituta, fuit quoque instituta Ecclesia Christi. Iam vero communis est Patrum doctrina quaecumque in Ecclesia sunt ab auctoritate apostolica in ipsa vigente dimanare et per eam conservari, ut in tractationis progressu liquido apparebit. Sane huc facit quod praecipit Ignatius Martyr ad Trallianos: sine Episcopo Presbyteris et Diaconis Ecclesiam Dei non vocari: nihilque licere fieri quod ad Ecclesiam spectat sine Episcopo, ut ait ad Smyrnaeos. Huc spectat quod ait Cyprianus epist. 69 Ecclesiam esse in Episcopo et Episcopum in Ecclesia, et qui cum Episcopo non est in Ecclesia non esse.

II. Haec est veritas fundamentalis in tractatione de Ecclesia, nimirum Christum Ecclesiam instituisse quatenus instituit in Apostolis potestatem regendi, docendi et sanctificandi. Ab ea veritate abluunt prorsus Sociniani et Protestantes (Faustus Socinus in tractatu de Ecclesia. Bibliotheca FF. Polonorum Tom. 4. Franciscus Turretinus loc. XVIII de Ecclesia q. II. n. 12) secuti Waldenses haereticos sec. XII qui auctoritatem praepositorum in Ecclesia reiiciebant omnibusque fidelibus potestatem praedicandi verbi faciebant (Conc. Later. IV. c. 3. cf. Bernardi Abbatis fontis calidi tractatum contra Waldenses penes Gallandi Tom. XIV). Talem enim illi concipiunt Ecclesiam quae sit coetus hominum adunatorum non quidem ad modum societatis quae auctoritate regiminis informetur et constituatur, cuiusmodi sunt politicae societates, sed adunatorum Deo per fidem et iustitiam iuxta promissionem novi foederis factam Ierem. XXX. 33. 34. ut proinde is sit in Ecclesia qui Dei doctrinam sequitur sive alios fideles noscat, sive secus; invicem enim colligantur fide Deo cognita. Ex quo consequitur dicendum esse quod Christus Ecclesiam instituit quatenus revelationem proposuit, suae redemptione meruit omnibus fidem et iustificationem. At in hac sententia non est nisi pars veritatis, et si ea exclusive accipiatur falsa est. Nam instituit quidem Christus Ecclesiam quatenus revelationem proponens voluit esse fidelium coetum, sed fidelium qui fidei doctrinam acciperent a magisterio a se instituto, cui depositum revelationis commendavit (cuius rei ampla de-

monstratio in tractatu de traditione quaerenda est), et instituit quidem Ecclesiam quatenus auctor est quoque nostrae iustificationis, suisque meritis eam nobis promeruit, secundum quam rationem Ecclesia dicitur e latere suo exiisse; sed auctor est iustificationis obtinendae per ritus sacros quibus meruit vim sanctificandi, et quorum administrationem ac curam certis pastoribus commisit, in quorum comunione sacramenta essent suscipienda ut utilia forent (quemadmodum in tractatione de sacramentis demonstratur). Ecclesia scilicet a Christo instituta non est tantum coetus hominum adunatorum Deo, sed adunatorum Deo certo modo, qui modus situs est in ipso ministerio a Christo instituto. Huius quidem coetus propria sunt interiora dona gratiae et sanctitatis ut ex loco citato Ieremiae patet: verum aliud est huiusmodi bona propria esse huius coetus, quod Ieremias dicit, aliud his solis bonis homines in Ecclesiam Christi vinciri et adunari, quod Ieremias non dicit.

Ex protestantium systemate haec quoque sententia efflorescit: institutam esse a Deo Ecclesiam quatenus divinitus datus est hominibus codex qui Scriptura sacra vocatur, a quo omnem doctrinam credendam, et legem servandam sub divina illustratione haurirent, ita ut ministerium opportunum quidem sit pro forma visibili Ecclesiae, non vero essenziale Ecclesiae, quae per se est invisibilis. Verum omissa nunc disputatione de visibilitate Ecclesiae; si ita est, praeter absurdum quod Deus postulaverit ab hominibus id quod eorum universalitati est impossibile, ac dimiserit eos circumferri omni vento doctrinae, sequitur Christum non esse auctorem Ecclesiae quam appellat suam nisi quatenus doctrinam communicavit Apostolis qui eam scriptis postea consignarunt. Atqui primo Christus hoc modo fuisset auctor Ecclesiae suae non immediatus, sed mediatum tantum; Ecclesia enim immediate per scripta apostolorum colligeretur: porro christianus intellectus Christum exhibet auctorem immediatum Ecclesiae suae. Deinde in hac hypothesi non esset ratio cur potius apostolis a Christo missis, quam Moysi aliisque auctoribus librorum sacrorum, a quibus pariter doctrina revelata accipitur, Ecclesiae origo accepta referretur. Tandem in hac hypothesi Christus reapse nullam instituisset Ecclesiam. Nam etsi eam velis esse coetum tantummodo fidelium interiore fide, ut tamen aliquis sit institutor huiusmodi coetus oportet ut auctor sit eius medii quo per se valeat hic coetus colligi, quo scilicet obtineatur consensus plurium vel interior in eandem veritatem. Atqui scriptura certe non est hoc medium; ineptus vero est recursus ad interiorem Dei illustrationem quae singulos immediate doceat quid in scripturis contineatur; nullibi enim promissio divina exstat talis illustrationis, eique tot dissensiones protestan-

tium in interpretandis scripturis manifeste refragantur: ergo vel Christus Ecclesiam non instituit, vel eam instituit institutione facta ministerii apostolici.

III. Quemadmodum vero Christus Ecclesiam suam instituit instituendo ministerium apostolicum, ita huius institutione formam certam societatis ei attribuit, quod Protestantes negant. Nam, ut ipsi disputant (Boehmerus iur. eccl. ant. d. VIII c. 2. Grotius de imp. sum. potest. c. 11. Franciscus Burmann. disp. theol. de synagoga §§ 86 seq.) Christus nullos coetus separatos instituit quippe qui ubique locorum docebat, synagogis iudaeorum intererat, et pariter cum ipso ad eas conveniebant quotquot ipsum sequebantur, qui non se separaverunt a coetu iudaeorum, nec distinctam constituerunt Ecclesiam. Neque Apostoli post Christum se separarunt a iudaeorum coetibus et synagogis, sed cum Iudaeis in synagogam et in templum conveniebant, ibique verbum Dei praedicabant, sacrisque iudaicis vacabant adeo ut etiam fideles ex gentibus ad eorum observantiam vellet adstringere. Occasione persecutionum quibus a synagoga fideles premebantur, et conversione gentilium qui iugo legis mosaicae se subdere nolebant, factum est ut paulatim fideles separarentur a iudaeorum coetibus, suosque coetus agerent. Tunc demum Apostoli his fidelium coetibus presbyteros dederunt, qui eosdem regerent. Porro norma ad quam horum separatorum coetuum regimen exegerunt Apostoli, non fuit norma quaedam a Christo tradita, sed fuit ipsa forma iudaicarum synagogarum, seu potius ecclesiarum quae post servitutem babylonicam exstiterunt, quae suam originem institutioni humanae debebant, et rationem universitatum independentium praeseferebant, invicem quidem confoederatae, sed nullis aliis legibus adstrictae quam quae a se ipsis latae essent. Defuissent autem sibi ipsis ecclesiae primaevi saeculi, si non eandem regiminis libertatem assumpsissent sibi, qua per romanos uti licuit synagogis iudaicis. Quocirca totum regimen ecclesiarum christianarum conformatum fuit ad synagogarum exemplar. Sicut enim ipse christianismus nihil aliud est nisi reformatus iudaismus, ita quoque ecclesiarum christianarum administratio nihil aliud fuit nisi continuatio munerum synagogarum. Tandem recens incredulorum schola, quae ob defectum omnis criterii vocatur *critica*, distinguit inter formam quam Petrus ab initio indidit Ecclesiae et formam quam deinde indidit Paulus, quae quidem praevaluit. Petrus scilicet formam illi dedit iudaicam atque ecclesiae particularis; at Paulus formam illi tribuit gentibus omnibus accommodatam, ecclesiae scilicet universalis, qua exempta est a iudaica societate, et in libertatem asserta (Edgar Quinet le christianisme et la revolution française pag. 67).

Haec Protestantium figmenta consona sunt quidem supremae eorum notioni Ecclesiae quam concipiunt ut fidelium coetum adhaerentium immediate Deo per interiorum fidem, ac per se invisibilem; atque opportune excogitata sunt ab ipsis ut suorum coetuum legitimitatem vindicarent. Verum 1° certum est Christum determinatam formam socialem suae Ecclesiae constituisse. Auctor enim societatis qui potestatem determinatam in ea constituit potestatem scilicet regendi, eamque amplissimam (quaecumque solveritis... quaecumque ligaveritis...) potestatem docendi omnes veritates revelatas, potestatem sanctificandi certis ritibus sacris: quique a se auctos potestate uni subordinat (id in tractatu seq. abunde demonstrabitur), is profecto formam determinatam socialem tribuit coetui a se instituto; Christus autem ita se gessit, ergo. 2° Quae a Protestantibus proferuntur vel nihil concludunt, vel falsa sunt. Nihil concludunt quae de Christo dicuntur qui se a synagoga non separavit, et de legalibus usurpatis aliquando ab Apostolis, quaeque dicuntur de similitudine inter regimen synagogarum et ecclesiarum. Nam Christus in his terris peregrinus adhuc non dixit se aedificasse Ecclesiam, sed aedificaturum, quam reapse aedificavit cum Petro pascendas oves suas commisit; Apostoli quidem legalia identidem usurparunt, at citra obligationem, et ex oeconomia quadam prudentiae et caritatis; unde non sequitur eos coetum simul cum Iudaeis constituisse: cum autem synagoga typus fuerit Ecclesiae, quid mirum si aliqua similitudo regiminis inter eas intercederet, etsi propriam formam socialem a Christo Ecclesia acceperit? Falsum vero est quod ab initio fideles ex iudaeis quoque coetus separatos non agerent a iudaeis: conferantur sane ex Actis c. II, 42, 46. c. IV, 32, 34. c. V, 12, 13. ubi diserte affirmatur quod ceterorum nemo audebat se coniungere illis, sed magnificabat eos populus. Et sane in Conc. hierosolym. (Act. XV.) statutum est lege mosaica non obligari discipulos (v. 10); quod decretum licet directe pro gentibus conversis editum sit, tamen pro omnibus fidelibus valere significarunt satis Apostoli tum adhibentes commune nomen *discipulorum*, tum de iugo mosaicae legis loquentes veluti re iam transacta (quod neque patres nostri neque nos portare *potuimus*): tum rationem reddentes sui decreti quae pro omnibus fidelibus ex aequo valebat, scilicet quia *per gratiam Iesu Christi credimus salvari* (cf. epist. ad Rom.). Porro in hoc concilio non Pauli, ut vult Quinet, sed Petri, si ita loqui fas est, sententia praevaluit, eaque iis argumentis stabilita est, quae hausta sunt ab ipsa institutione christiana. Atqui absurdum est coetum qui legibus mosaicis non tenebatur, non fuisse separatam a coetu Iudaeorum: ergo. Falsum est proinde occasione persecutionum se separasse christianos a Iudaeis; nam e contrario sepa-

ratio fuit occasio persecutionum: ut enim Stephanum comprehendi facerent et damnari hanc causam producebant Iudaei, quia scilicet, ut ipsi aiebant, diceret Stephanus quod Iesus Nazarenus destruet locum istum h. e. templum, et mutabit traditiones quas tradidit nobis Moyses (Act. VI, 14); sentiebant nempe Iudaei aliam prorsus societatem religiosam incipere, et hinc orta persecutio. Falsum est quod exegerint Apostoli regimen ecclesiarum quas fundabant ad normam regiminis synagogarum. Nam 1. falsum est hoc sensu quod normam ab iis mutuati fuerint veluti destituti propria norma a Christo accepta; ut iam probavimus: 2. falsum est hoc sensu quod par fuerit utrarumque regimen. Cum enim Protestantes velint huiusmodi synagogas communi plurium auctoritate rectas fuisse, et caruisse vero imperio, ac singulas fuisse independentes, e contrario Apostoli singulis ecclesiis unum praefecerunt cum potestate iurisdictionis cui omnes subessent (cf. quae de Episcopis dicemus §§ XIV et XVII) omnesque singulares Ecclesias ad unitatem regiminis revocarunt subordinantes uni ex Christi institutione, ut in tractatu seq. demonstrabitur.

§. III.

Etsi Ecclesia Christi certa quadam veraque ratione exstiterit semper, specialem tamen constitutionem et formam Christo auctore obtinuit; qua factum est ut post Christum nemo ad Ecclesiam veram spectet, qui non spectat ad hanc Ecclesiam Christo auctore institutam.

1. Ecclesia Dei lato sensu accepta est coetus fidelium colentium Deum; ut autem Ecclesia Christi vero quodam sensu dici possit haec sufficiunt, scilicet quod propter Christi merita existat, et quod obiectum eius fidei, ideoque cultus sit Christus: ut hoc pacto et quatenus est et quatenus agit ad Christum referatur. Iam vero talis Ecclesia exstitit inter homines a promissione facta a Deo protoparentibus futuri reparatoris. Sane quaestio triplex fieri potest: 1^a an ex divina institutione potuerint semper inter homines esse ii qui fide in Christum sive explicita sive saltem implicita colerent Deum: 2^a an actu semper fuerint: 3^a an debuerint semper esse. Primae quaestioni responsio affirmativa patet ex universalitate voluntatis salvificae supposita necessitate fidei ad salutem. Nec unquam iis Deus defuit tum interioribus ac supernaturalibus auxiliis tum exterioribus (Act. XIV, 16; Rom. I. 20. Cf. Clem. Alex. Strom. L. VI), singulorumque hominum providentiam Deus habuit: singula enim entia rationalia subsunt per se divinae providentiae, quocirca cum Augustino

(de vera Relig. c. 25) admittenda est praeter universalem providentiam particularis, quae singulis providet.

Alteri quoque quaestioni respondendum esse affirmative docet historia sacra. Patet enim a Christo ad Moysen atque Abrahamum ascendendo exstitisse semper, saltem inter huius posteros, aliquos qui credentes expectarent redemptorem Deumque colerent; idem liquet ex Abrahamo ad Noe, qui Abrahami aetatem attigit, quique fidelis fuit, filiosque fideles habuit: idem tandem constat a Noe ad Adamum, inter quos intercesserunt filii Dei distincti a filiis hominum, quos filios Dei Adam ipse excolere potuit qui aetate Lamec parentis Noe defunctus est. Porro advertendum huiusmodi fideles constituisse tum quoque quemdam coetum h. e. ecclesiam. Id satis evidens est pro iis qui sub lege veteri a Moyse lata vivebant, pluribus enim ritibus fidei profitentibus vinciebantur in societatem religiosam quae praeparabat homines ad Christum. Ante legem vero etsi minor esset unio; tamen 1^o singulae familiae patriarcham suum reverentes et ab eo traditam accipientes doctrinam, et cum eo sacra Deo facientes, certos quosdam coetus constituebant: 2^o particulares hi coetus realiter uniebantur professione extrinseca eiusdem fidei, verique cultus exercitio: quae animadversio valet et pro iis qui lege vigente mosaica inter gentes exstiterunt fideles.

Quod historice asseruimus confirmat Eusebius (H. E. L. I. c. 4.). Ostensurus enim christianum institutum non esse novum, probat historice ante Christum semper exstitisse qui rationem vivendi ab eo praescriptam sequerentur. Quo effecto quoad hebraeos pergit. «Quod si quis omnes illos quorum iustitia tam illustri testimonio comprobata est ab Abramo initio sumpto ad primum usque hominem recurrens christianos non quidem nomine sed re ipsa fuisse affirmet, is certe non procul a veritate aberrabit. Nam cum christiani nomine nihil aliud significetur quam vir qui per Christi cognitionem atque doctrinam modestia iustitia tolerantia fortitudine et pietatis cultusque unius qui super omnia est Dei professione ornatus sit, haec omnia veteres illi non minus studiose ac nos excoluerunt.» Quocirca Gregorius M. (hom. XIX. in Evang.) vineam Dei universalem Ecclesiam vocat, «quae ab Abel iusto usque ad ultimum electum, qui in fine mundi nasciturus est, quot sanctos protulit, quasi tot palmites misit.» Idemque testatur Augustinus (Retract. L. I. c. 13.) «Res ipsa, quae nunc christiana religio nuncupatur, erat apud antiquos, nec defuit ab initio generis humani, quousque ipse Christus veniret in carne, unde vera religio, quae iam erat, coepit appellari christiana.» «Tempora scilicet variata sunt, non fides» ut idem ait (Tract. in Ioan. XLV, n. 9.).